℟. br. Nimis honoráti sunt, * Amíci tui, Deus. Nimis. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci. Glória Patri. Nimis. ℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt.

Ad Vesperas, Aña de Laud. Psalmi ut in ij. Vesp. de Comm. Apost. xiv. Capit. Hymnus et ℣. ut supra ad Laudes.

Ad Magnificat, Aña. Cum pervenísset beátus Andréas ad locum, ubi crux paráta erat, exclamávit et dixit: O bona crux, diu desideráta, et jam concupiscénti ánimo præparáta: secúrus et gaudens vénio ad te, ita et tu exúltans suscípias me discípulum ejus, qui pepéndit in te.

Et fit commem. Feriæ.

## FESTA DECEMBRIS.

### Die ij. In festo S. Bibianæ virginis et martyris.

Semiduplex.

Omnia dicuntur de Communi Virginum, lxxxvj. præter sequentia.

Oratio.

Deus ómnium largítor bonórum, qui in fámula tua Bibiána cum virginitátis flore martyrii palmam conjunxísti: mentes nostras ejus intercessióne tibi charitáte conjúnge; ut amótis perículis, præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Et fit comm. Feriæ.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente: quod et in aliis Festis servatur, quando in j. Nocturno non assignantur aliæ Lectiones.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Bibiána virgo Románа, nóbili génere nata, christiána fide nobílior fuit. Ejus enim pater Flaviánus sub Juliáno apóstata impiíssimo tyránno Expræféctus, servilibúsque notis compúnctus, ad aquas Taurinas deportátus, martyr occúbuit. Mater Dafrósa, et fíliæ primum conclúsæ domi, ut inédia conficeréntur; mox relegáta mater extra Urbem cápite plexa est. Mórtuis autem piis paréntibus, Bibiána cum soróre sua Deméria bonis ómnibus expoliátur. Aproniánus Urbis Prætor, pecúniis ínhians, soróres perséquitur, quas humána prorsus ope destitútas, Deo mirabíliter, qui dat escam esuriéntibus enutriénte, cum vivacióres vegetiorésque conspexísset, veheménter est admirátus. ℟. Propter.

Lectio v.

Suadet nihilóminus Aproniánus, ut veneréntur deos Géntium, amíssas ídeo opes, Imperatóris grátiam, præclaríssimas núptias consecutúræ. Si secus fécerint, minátur



cárceres, virgas, secúres. At illæ neque blandítiis, neque minis a recta fide declinántes, parátæ pótius mori, quam fœdári móribus Ethnicórum, Prætóris impietátem constantíssime detestántur. Quare Demétria ob óculos Bibiánæ repénte córruens, óbiit in Dómino: Bibiána Rufínæ mulíeri vaferrimæ seducénda tráditur, quæ ab incunábulis edócta christiánas leges, et illibátum serváre virginitátis florem, se ipsa fórtior, féminæ superávit insídias, et Prætóris astus delúsit. ℟. Dilexísti justítiam.

Lectio vj.

Nihil autem proficiénte Rufína, quæ, præter dolósa verba, illam quotídie verbéribus affligébat, ut de sancto propósito dimovéret, spe sua frustrátus Prætor, accénsus ira, quod in Bibiána perdidísset óperam, a lictóribus eam denudári, vinctísque mánibus colúmnæ alligári, eámque plumbátis cædi jubet, donec efflaret ánimam. Cujus sacrum corpus objéctum cánibus bíduo jácuit in foro Tauri, illæsum tamen, et divínitus servátum; quod deínde Joánnes Présbyter sepelívit noctu juxta sepúlchrum soróris et matris ad palátium Liciniánum, ubi usque in præsens exstat Ecclésia Deo, sanctæ Bibiánæ nómine dicáta, quam Urbánus octávus instaurávit, sanctárum Bibiánæ, Demétriæ, et Dafrósæ corpóribus in ea repértis, et sub ara máxima collocátis. ℟. Afferéntur.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 13. f

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cœlórum thesaúro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homília S. Gregórii Papæ.

*Hom.* 11. *in Evang.*

Cœlorum regnum, fratres charíssimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur, ut ex his quæ ánimus novit, surgat ad incógnita quæ non novit: quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea, quæ usu dídicit, quasi confricátus incaléscat: ut per hoc, quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim cœlórum regnum thesaúro abscóndito in agro comparátur: quem qui ínvenit homo, abscóndit, et præ gaúdio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. ℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum: * Et

veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Et veniénte.

Lectio viij.

Qua in re hoc quoque notándum est, quod invéntus thesaúrus abscónditur, ut servétur: quia stúdium cœléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis laúdibus non abscóndit. In præsénti étenim vita, quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus. Malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident. Deprædári ergo desíderat, qui thesaúrum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cum scriptum sit: Vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cœlis est: sed ut per hoc, quod ágimus, laudes extérius non quærámus. Sic autem sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occúlto: ut et de bono ópere próximis præbeámus exémplū, et tamen per intentiónem, qua Deo soli placére quærimus, semper optémus secrétum.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce.

Lectio ix.

Thesaurus autem cœléste est desidérium: ager vero, in quo thesaúrus abscónditur, disciplína stúdii cœléstis. Quem profécto agrum vénditis ómnibus cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta sua terréna desidéria per disciplínæ cœléstis custódiam calcat: ut nihil jam, quod caro blandítur, líbeat; nihil, quod carnálem vitam trucídat, spíritus perhorréscat. Te Deum. 17.

In Laud. comm. Fer.

Vesperæ de sequenti, comm. S. Bibianæ, et Fer.

## DIE III. DECEMBRIS.

### In Festo sancti Francisci Xaverii Confessoris.

Duplex.

Omnia de Com. Conf. non Pont. lxix. præter seq.

Oratio.

Deus, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti: concéde propítius: ut, cujus gloriósa mérita venerámur; virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Deinde fit commem. S. Bibianæ. Aña. Veni sponsa. ℣. Diffúsa. Oratio. Deus, ómnium, ut 414.

Postea de Feria: quod et servatur per totum Adv. in Vesperis et Laudibus.



In j. Nocturno Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Franciscus in Xavério Diœcésis Pampelonénsis nobílibus paréntibus natus, Parísiis sancto Ignátio sese cómitem et discípulum junxit. Ipso magístro eo brevi devénit, ut in rerum divinárum contemplatióne defíxus, a terra aliquándo sublímis elevarétur; quod illi sacrificánti coram pópuli multitúdine aliquóties evénit. Has ánimi delícias magnis sui córporis cruciátibus merebátur. Nam interdícto sibi, non carnis solum et vini, sed panis quoque tritícei usu, vílibus cibis vesci sólitus, per bíduum subínde triduúmque omni prorsus aliménto abstínuit. Férreis in se flagéllis ita sæviit, ut sæpe copióso cruóre difflúeret; somnum brevíssimum humi jacens carpébat. ℟. Honéstum.

Lectio v.

Vitæ austeritáte ac sanctitáte Apostólico múneri jam matúrus, cum Joánnes Tértius Lusitániæ rex áliquot nascéntis Societátis viros a Paulo tértio pro Indiis postulásset, sancti Ignátii hortátu ab eódem Pontífice ad tantum opus cum Apostólici Núntii potestáte delígitur. Eo appúlsus, íllico variárum géntium difficíllimis et váriis linguis divínitus instrúctus appáruit. Quin eum quandóque único idiómate ad divérsas gentes concionántem, unaquæque sua lingua loquéntem audívit. Províncias innúmeras pédibus semper, et sæpe nudis, peragrávit. Fidem Japóniæ, et sex áliis regiónibus invéxit. Multa centéna hóminum míllia ad Christum in Indiis convértit, magnósque príncipes, regésque complúres sacro fonte expiávit. Et cum tam magna pro Deo ágeret, ea erat humilitáte, ut sancto Ignátio, tunc Præpósito suo, flexis génibus scríberet. ℟. Amávit.

Lectio vj.

Hunc dilatándi Evangélii ardórem, multitúdine, et excelléntia miraculórum Dóminus roborávit. Cæco visum réddidit. Tantum marínæ aquæ signo crucis convértit in dulcem, quantum quingéntis vectóribus, qui siti adigebántur ad mortem, diu suffécit: qua in várias quoque regiónes asportáta, ægri plúrimi súbito curáti sunt. Plures mórtuos revocávit ad vitam: inter quos prídie sepúltum érui jussum e túmulo suscitávit, duósque álios, dum efferréntur, apprehénsa eórum manu, paréntibus e féretro vivos.

restítuit. Prophétiæ spíritu passim afflátus, plúrima et loco et témpore remotíssima enuntiávit. Demum in Sanciáno Sinárum ínsula, die secúnda Decémbris, óbiit plenus méritis, laboribúsque conféctus. Demórtui cadáver viva calce per multos menses bis óbrutum, sed pénitus incorrúptum, odóre et sánguine manávit: et ubi Málacam delátum est, pestem sævíssimam conféstim extínxit. Dénique ubíque terrárum novis, maximísque fulgéntem miráculis, Gregórius decimusquíntus Sanctis adscrípsit. ℟. Iste.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* 16. c

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

*Hom.* 29. *in Evangelia.*

Potest omnis creatúræ nómine omnis nátio géntium designári. Ante étenim dictum fúerat: In viam géntium ne abiéritis: nunc autem dícitur, Prædicáte omni creatúræ: ut scílicet prius a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio tunc nobis in adjutórium fieret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide. ℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viij.

Neque étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non venissent. Séquitur: Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat: Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit: Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant. ℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix.

Signa autem eos, qui creditúri sunt, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda. Quia et nos, cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra jam coaluísse videámus: et si semel radícem fíxerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt, non fidélibus, sed infidélibus. Te Deum. 17.

In Laud. comm. Feriæ. Vesperæ a Capit. de seq. cum com. ut infra.



## DIE IV. DECEMBRIS.

In Festo S. Petri Chrysologi Episcopi et Confes. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. lj. præter seq. In Hym. Iste Confessor, mutatur tertius Versus. Ad Magnificat in utrisque Vesp. Aña. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Petre Chrysóloge, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

Deus, qui beátum Petrum Chrysólogum doctórem egrégium, divínitus præmonstrátum ad regéndam et instruéndam Ecclésiam tuam élígi voluísti: præsta quæsumus, ut, quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dñum.

Pro comm. præc. Aña. Hic vir. ℣. Justum. Oratio. Deus, qui Indiárum. 416.

Deinde comm. Feriæ.

Postea S. Barbaræ virg. et mart. Aña. Veni sponsa. ℣. Spécie.

Oratio.

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius: ut, qui beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Lectiones j. Nocturni, Fidélis sermo. liv.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Petrus, qui ob aúream ejus eloquéntiam Chrysólogi cognómen adéptus est, Foro Cornélii in Æmília honéstis paréntibus natus, a prima ætáte ánimum ad religiónem adjíciens, Cornélio Románo, tunc ejúsdem urbis Corneliénsis Epíscopo, óperam dedit: a quo étiam, sciéntia et vitæ sanctitáte cum brevi profecísset, Diáconus creátus est. Póstmodum cóntigit, ut Ravennátes ob mortem Archipræsulis sui álium (ut moris erat) ab eis eléctum Romam ad sanctum Sixtum Papam Tértium pro confirmatióne míserint una cum Legátis suis, et cum prædícto Cornélio, qui eúmdem Levítam secum perdúxit. Interim sanctus Petrus Apóstolus, et martyr Apollináris Summo Pontífici in somnis apparuérunt, mediúmque habéntes hunc júvenem, jussérunt, ut illum, et non álium, in Archiepíscopum Ravénnæ creáret. Hinc Póntifex, mox ut vidit Petrum, cognóvit eum a Dómino Deo præeléctum: proptérea rejécto illo quem ipsi offerébant, hunc solum, anno Christi quadringentésimo trigésimo tértio, illi Metropolitánæ præfécit Ecclésiæ. Quod cum Legáti Ravennaténses ægre ferrent, audíta visióne, divínæ voluntáti libénter acquiescéntes, novum Archiepíscopū máxima cum reveréntia suscepérunt. ℟. Invéni David.

Lectio v.

Petrus ígitur, licet invítus, in Archipræsulem consecrátus, Ravénnam dedúcitur: ubi a Valentiniáno Imperatóre et Galla Placídia ejus matre ac ab univérso pópulo máxima lætítia excéptus est. Et ille ab eis id unum pétere dixit, ut quando tantum óneris pro ipsórum salúte subíre non recusávit, studérent ipsi mónitis suis obtemperáre, divinísque præcéptis non obsístere. Duórum Sanctórum tunc ibi defunctórum córpora óptimis unguéntis condíta sepelívit, Barbatiáni vidélicet presbyteri, et Germáni Antisiodorénsis Epíscopi; cujus étiam cucúllum, et cilícium sibi vendicávit in hereditátem. Projéctum, et Marcellínum in Epíscopos ordinávit. In Classe fontem extrúxit magnitúdinis vere admirábilis, et templa quædam magnífica ædificávit tum beáto Andréæ Apóstolo, tum áliis Sanctis. Ludos ab homínibus personátis cum váriis saltatiónibus Kaléndis



Januárii fieri sólitos concióne cohíbuit acérrima: ubi inter ália illud præcláre dixit: Qui jocári volúerit cum diábolo, non póterit gaudére cum Christo. Jussu sancti Leónis Papæ Primi scripsit póstea ad Chalcedonénse Concílium advérsus hæresim Eutychétis. Respóndit prætérea ad Eútychen ipsum et ália epístola, quæ eídem Concílio in novis editiónibus præfíxa, et in annáles ecclesiásticos reláta fuit. ℟. Pósui.

Lectio vj.

Dum públice sermónes habéret ad pópulum, ádeo véhemens erat in dicéndo, ut præ nímio ardóre vox illi intérdum defécerit: sicut cóntigit in concióne mulíeris Hæmorrhoíssæ. Unde Ravennátes commóti tot lácrymis, clamóribus, et oratiónibus locum replevérunt, ut póstea ipse grátias ágeret Deo, quod in lucrum amóris vérterit damnum ejúsdem sermónis. Cum tandem annos círciter decem et octo eam Ecclésiam sanctíssime rexísset, labórum suórūm finem adésse divínitus prænóscens, in pátriam se cóntulit. Ubi sancti Cassiáni templum ingréssus, magnum diadéma aúreum, gemmis distínctū pretiosíssimis, ófferens, super Altáre majus pósuit, necnon aúreum cratérem, et paténam argénteam, quam tum rábidi canis morsus, tum febres sanáre sæpius expértum est, aqua inde demíssa. Ex tunc Ravennátes, qui eúmdem secúti fúerant, dimísit, ádmonens, ut in eligéndo óptimo Pastóre invigilárent atténte. Mox Deum humíliter precátus, et sanctum Cassiánum patrónum, ut benígne ánimam ejus excíperet, tértio Nonas Decémbris plácide ex hac vita migrávit, anno Dómini círciter quadringentésimo quinquagésimo. Sacrum illíus corpus commúni totíus civitátis fletu ac pietáte prope corpus ejúsdem sancti Cassiáni honorífice cónditum, nostris étiam tempóribus religióse cólitur: cujus tamen bráchium, auro, et gemmis ornátum, Ravénnam delátum, in Ursiána æde venerátur. ℟. Iste est.

In iij. Noct. Homilia in Evang. Vos estis sal terræ. de Com. Doct. lxviij.

In Laud. comm. Fer. Postea S. Barbaræ virg. et Mart. Aña. Símile. ℣. Diffúsa. Orátio. Deus, qui inter cétera. 419.

In ij. Vesp. fit comm. Fer. et S. Sabbæ Abbatis.

## DIE V. DECEMBRIS.

Sancti Sabbæ Abbatis commemoratio.

Ad Vesperas, Aña. Similábo. ℣. Amávit.

Oratio.

Intercessio nos, quæsumus Dñe, beáti Sabbæ Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dñum.

In Laudibus, Aña. Euge. ℣. Justum.

## DIE VI. DECEMBRIS.

In Festo S. Nicolai Episc. et Confessoris.

Duplex.

Omnia de Com. Conf. Pont. lj. præter seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Nicoláum Pontíficem innúmeris decorásti miráculis: tríbue quæsumus; ut ejus méritis et précibus, a gehénnæ incéndiis liberémur. Per Dóminum.

Deinde comm. Fer.

In j Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Nicolaum, illústri loco Pátaræ in Lycia natum, paréntes a Deo précibus impetrárunt. Cujus viri sánctitas quanta futúra esset, jam ab incunábulis appáruit. Nam infans, cum réliquos dies lac nutrícis frequens súgeret, quarta et sexta féria semel dumtáxat, idque vésperi sugébat: quam jejúnii consuetúdinem in réliqua vita semper ténuit. Adoléscens paréntibus orbátus, facultátes suas paupéribus distríbuit. Cujus illud insígne est christiánæ benignitátis exémplum: quod cum ejus civis egens tres fílias jam núbiles in matrimónio collocáre non posset, earúmque pudicítiam prostitúere cogitáret; re cógnita, Nicoláus noctu per fenéstram tantum pecúniæ in ejus domum injécit, quantum uníus vírginis doti satis esset: quod cum íterum et tértio fecísset, tres illæ vírgines honéstis viris in matrimónium datæ sunt.

℟. Invéni David.

Lectio v.

Cum vero se totum Deo dedísset, in Palæstínam proféctus est, ut loca sancta víseret, et præsens venerarétur. Qua in peregrinatióne navem conscéndens seréno cælo, et tranquíllo mari, horríbilem nautis tempestátem prædíxit: moxque ortam, cum essent omnes in summo perículo, orans mirabíliter sedávit. Unde cum domum revérsus singuláris sanctitátis ómnibus documénta præbéret, Dei admónitu Myram, quæ Lyciæ metrópolis erat, venit: quo témpore ejus urbis Epíscopo mórtuo, provinciáles Epíscopi de successóre deligéndo consultábant. Itaque in ea deliberatióne divínitus admóniti sunt, ut eum elígerent, qui postrídie mane primus in Ecclésiam ingrederétur, Nicoláus nómine. Qua observatióne adhíbita, in Ecclésiæ jánua deprehénsus est Nicoláus, et summo ómnium consénsu Myræ Epíscopus creátur. In Episcopátu castitátem, quam semper colúerat, gravitátem, oratiónis assiduitátem, vigílias, abstinéntiam, liberalitátem, et hospitálitátem, in adhortándo mansuetúdinem, in reprehendéndo severitátem, perpétuo adhíbuit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Viduis et órphanis pecúnia, consílio, ópera non défuit: oppréssos ádeo sublevávit, ut étiam tres Tribúnos, per calúmniam a Constantíno Augústo condemnátos, qui se propter famam ejus miraculórum oratiónibus longíssime absénti commendárant, adhuc vivens, cum Imperatóri, mináciter eum terrens, apparuísset, liberáverit. Cum vero contra edíctum Diocletiáni et Maximiáni christiánæ fídei veritátem Myræ prædicáret, ab Imperatórũ satellítibus comprehénsus, et longíssime abdúctus, in cárcerem conjéctus est: ubi fuit usque ad Constantínum Imperatórem: cujus jussu ex custódia eréptus, Myram rédiit. Mox ad Nicænum Concílium se cóntulit: ubi cum trecéntis illis decem et octo Pátribus Ariánam hæresim condemnávit. Inde revérsus ad Episcopátum, non ita multo post, instánte morte, suspíciens in cælum, cum Angelos sibi occurréntes intuerétur, illo Psalmo pronuntiáto, In te Dómine sperávi; usque ad eum locum, In manus tuas comméndo spíritum meum; in cæléstem pátriam migrávit. Ejus corpus Bárium in Apúlia translátum, ibídem summa celebritáte ac veneratióne cólitur.

℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno, Homilia in Evang., Homo péregre proficíscens, ut in Comm. Conf. Pont. lx.

Vesperæ a Capitulo de S. Ambrosio, cum com. S. Nicolai et Feriæ.

## DIE VII. DECEMBRIS.

In Festo S. Ambrosii Episcopi, Confessoris, et Ecclesiæ Doctoris.

Duplex.

Omnia ut in Communi Confess. Pont. lj. præter sequentia.

In Hymno, Iste Confés-sor, mutatur tertius Versus.

Ad Magnificat, Aña.

O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Ambrósi, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Ambrósium, minístrũ tribuísti: præsta quæsumus, ut, quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dñum.

Pro com. S. Nicolai, Aña. Amávit. ℣. Justum. Oratio. Deus, qui beátum. 422.

Postea de Feria.

Lectiones j. Nocturni Fidélis sermo. liv.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ambrosius Epíscopus Mediolanénsis, Ambrósii civis Románi fílius, patre Gálliæ Præfécto natus est. In hujus infántis ore exámen apum consedísse dícitur: quæ res divínam viri eloquéntiam præmonstrábat. Romæ liberálibus disciplínis erudítus est. Post a Probo Præfécto, Ligúriæ et Æmíliæ præpósitus: unde póstea ejúsdem Probi jussu cum potestáte Mediolánum venit: ubi, mórtuo Auxéntio Ariáno Epíscopo, pópulus de successóre deligéndo dissidébat. Quare Ambrósius, pro offícii sui múnere Ecclésiam ingréssus, ut commótam seditiónem sedáret, cum multa de quiéte et tranquillitáte reipúblicæ præclárè dixísset, de repénte púero Ambrósium Epíscopum exclamánte, univérsi pópuli vox erúpit, Ambrósium Epíscopum deposcéntis. ℟. Invéni David.

Lectio v.

Recusante illo, et eórum précibus resisténte, ardens pópuli stúdium ad Valentiniánum Imperatórem delátum est: cui gratíssimum fuit, a se deléctos júdices ad sacerdótium postulári. Fuit id étiam Probo Præfécto jucúndum, qui Ambrósio proficiscénti quasi divínans díxerat: Vade, age, non ut judex, sed ut Epíscopus. Itaque cum ad pópuli desidérium Imperatóris volúntas accéderet, Ambrósius baptizátus (erat enim catechúmenus) sacrísque initiátus, ac servátis ómnibus ex institúto Ecclésiæ Ordinum grádibus, octávo die, qui fuit séptimo Idus Decémbris, Episcopále onus suscépit. Factus Epíscopus, cathólicam fidem et disciplínam ecclesiásticam acérrime defendit: multósque Ariános, et álios hæréticos, ad fídei veritátē convértit, in quibus claríssimum Ecclésiæ lumen sanctum Augustínum Jesu Christo péperit. ℟. Pósui.

Lectio vj.

Gratiano Imperatóre occíso, ad Máximum ejus interfectórem legátus íterum proféctus est: eóque pœniténtiam ágere recu-



sánte, se ab ejus communióne semóvit. Theodósium Imperatórem, propter cædem Thessaloníce factam, ingréssu Ecclésiæ prohíbuit. Cui, cum ille David quoque regem adúlterum, et homicídam fuísse dixísset, respóndit Ambrósius: Qui secútus es errántem, séquere pœniténtem. Quare Theodósius sibi ab eo impósitam públicam pœniténtiam humíliter egit. Ergo sanctus Epíscopus pro Ecclésia Dei máximis labóribus curísque perfúnctus, multis libris étiam egrégie conscríptis, ántequam in morbum incíderet, mortis suæ diem prædíxit. Ad quem ægrótum Honorátus Vercellénsis Epíscopus, Dei voce ter admónitus, accúrrit, eíque sanctum Dómini corpus præbuit: quo ille sumpto, conformátis in crucis similitúdinem mánibus, orans, ánimam Deo réddidit prídie Nonas Aprílis, anno post Christum natum trecentésimo nonagésimo séptimo. ℟. Iste est qui.

In iij. Noct. Hom. in Evang. Vos estis sal terræ, de Com. Doct. lxviij.

Vesperæ de seq. comm. præc. et Feriæ.

## DIE VIII. DECEMBRIS.

In Festo Conceptionis B. Mariæ Virg.

Duplex ij. Classis.

Ad Vesperas, Añæ de Laud., Psalmi, Capit. et Hymn. ut in Festis B. M. cxxxviij.

℣. Concéptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnificat, Aña. Gloriósæ Vírginis Maríæ Conceptiónem digníssimam recolámus, quæ et genitrícis dignitátem obtínuit, et virginálem pudicítiam non amísit.

Oratio.

Famulis tuis, quæsumus Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre: ut, quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Conceptiónis ejus votíva solémnitas, pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

Pro com. S. Ambrosii Aña. O Doctor. ℣. Justum. Oratio. Deus, qui. 424.

Postea de Feria.

Ad Complet. et Horas in fine Hymn. dicitur:

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine.

Quod semper servatur, quando fit Officium de S. Maria, etiam per Octavas.

Ad Matutinum, Invit. Conceptiónem vírginis Maríæ celebrémus: * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum. Ps. Veníte, exultémus. 2.

Hymnus, Añæ, Psalmi et ℣℣. Nocturnorum, ut in Festis B. M. cxlj. præter nonam Añam, ut infra.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. c. 24.

Ego ex ore Altíssimi pródívi, primogénita ante omnem creatúram. Ego feci in cœlis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cœli circuívi sola, et profúndum abyssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti: et in omni pópulo, et in omni gente primátum hábui: et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi; et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israel hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces.

℟. Hódie concépta est beáta virgo María ex progénie David: *Per quam salus mundi credéntibus appáruit, cujus vita gloriósa lucem dedit sæculo. ℣. Conceptiónem beátæ Maríæ vírginis cum gaúdio celebrémus. Per.

Lectio ij.

Ab inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis: Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris: et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mistum odor meus.

℟. Beatíssimæ vírginis Maríæ Conceptiónem devotíssime celebrémus: *Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Cum jucunditáte Conceptiónem beátæ Maríæ vírginis devotíssime celebrémus. Ut ipsa.

Lectio iij.

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátẽ odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini: Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Gloriósæ vírginis Maríæ Conceptiónem digníssimam recolámus, *Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Salvatórem mundi. ℣. Beatíssimæ vírginis Maríæ Conceptiónem devotíssime celebrémus. Cujus. Glória Patri. Cujus.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Ambrósii Episc. de virgínibus.

Lectio iv. *L. 2. sub init.*

Sit vobis tamquam in imágine descrípta virgínitas, vítaque beátæ Maríæ: de qua velut in spéculo refúlget spécies castitátis et forma virtútis. Hinc sumátis lícet exémpla vivéndi, ubi tamquam in exemplári magistéria expréssa probitátis, quid corrígere, quid effúgere, quid tenére debeátis, osténdunt. Primus discéndi ardor, nobílitas est magístri. Quid nobílius Dei Matre? Quid splendídius ea, quam splendor elégit? Quid cástius ea, quæ corpus sine córporis contagióne generávit?

℟. Concéptio gloriósæ vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David: *Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias. ℣. Hódie concépta est beáta virgo María ex progénie David. Cujus.

Lectio v.

Nam de céteris ejus virtútibus quid loquar? virgo erat non solum córpore, sed étiam mente, quæ nullo doli ámbitu sincérum adulteráret afféctum. Corde húmilis, verbis gravis, ánimo prudens: loquéndi párcior, legéndi studiósior, non in incérto divitiárum, sed in prece paúperis spem repónens: inténta óperi, verecúnda sermóne, árbitrum mentis sólita non hóminem, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle ómnibus, assúrgere majóribus natu, æquálibus non invidére,

fúgere jactántiam, ratiónem sequi, amáre virtútem.

℟. Cum jucunditáte Conceptiónem beátæ Maríæ celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum. ℣. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ. Ut.

Lectio vj.

Quando ista vel vultu læsit paréntes? quando dissénsit a propínquis? quando fastidívit húmilem? quando derísit débilem? quando vitávit ínopem? Eos solos sólita cœtus virórum invísere, quos misericórdia non erubésceret, neque præteríret verecúndia. Nihil torvum in óculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecúndum. Non gestus fráctior, non incéssus solútior, non vox petulántior: ut ipsa córporis spécies simulácrum fúerit mentis, figúra probitátis.

℟. Concéptio tua, Dei Génitrix virgo, gaúdium annuntiávit univérso mundo: * Ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster: * Qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem: et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Ex. Glória Patri. Qui solvens.

In iij. Nocturno, loco nonæ Añæ, Post partum, dicitur Aña. Angelus Dómini * nuntiávit Maríæ, et concépit de Spíritu sancto.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. c. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

*L. 2. de Cons. Ev. c. 1.*

Matthæus Evangelísta sic orsus est: Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Quo exórdio suo satis osténdit, generatiónem Christi secúndum carnem se suscepísse narrándam. Secúndum hanc enim Christus fílius hóminis est: quod étiam se ipse sæpíssime appéllat, comméndans nobis quid misericórditer dignátus sit esse pro nobis. Nam illa supérna et ætérna generátio, secúndum quam Fílius Dei unigénitus est ante omnem creatúram, quia ómnia per ipsum facta sunt, ita ineffábilis est, ut de illa dictum a Prophéta intelligátur: Generatiónem ejus quis enarrábit?



℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia.

Lectio viij.

Exequitur ergo humánam generatiónem Christi Matthæus, ab Abraham generatóres commémorans, quos perdúcit ad Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus. Neque enim fas erat, ut ob hoc eum a conjúgio Maríæ separándum putáret, quod non ex ejus concúbitu, sed virgo péperit Christum. Hoc enim exémplo magnífice insinuátur fidélibus conjugátis, étiam serváta pari consénsu continéntia, posse permanére, vocaríque conjúgium, non permíxto córporis sexu, sed custódito mentis afféctu: præsértim quia nasci eis étiam fílius pótuit sine ullo compléxu carnáli, qui propter solos gignéndos fílios adhibéndus est.

℟. Felix namque es, sacra virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuū juvámen, quicúmque celebrant tuam sanctam Conceptiónem. Quia ex. Glória Patri. Christus.

Lectio ix. c. 2.

Cum autem evidénter dicat Apóstolus Paulus, ex sémine David secúndum carnem Christum, ipsam quoque Maríam de stirpe David áliquam consanguinitátem duxísse, dubitáre útique non debémus. Cujus féminæ quóniam nec sacerdotále genus tacétur, insinuánte Luca, quod cognáta ejus esset Elísabeth, quam dicit de filiábus Aaron: firmíssime tenéndum est, carnem Christi ex utróque génere propagátam, et regum scílicet, et sacerdótum: in quibus persónis apud illum pópulum Hebræórum étiam mystica únctio figurabátur, id est, chrisma, unde Christi nomen elúcet, tanto ante étiam ista evidentíssima significatióne prænuntiátum.

Te Deum laudámus. 17.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Concéptio gloriósæ * vírginis Maríæ, ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David.

Psalmus. Dóminus regnávit, cum reliquis. 18.

2. Concéptio est hódie * sanctæ Maríæ vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

3. Regáli ex progénie * María exórta refúlget : cujus précibus nos adjuvári mente et spíritu devotíssime póscimus.
4. Corde et ánimo * Christo canámus glóriam, in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genitrícis Dei Maríæ.
5. Cum jucunditáte * Conceptiónem beátæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capitulum. *Eccli.* 24. *b*

Ab inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus.

O gloriósa vírginum,
Sublímis inter sídera,
Qui te creávit, párvulum
Lacténte nutris úbere.
Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine :
Intrent ut astra flébiles,
Cœli reclúdis cárdines.
Tu Regis alti jánua
Et aula lucis fúlgida :
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ plaudite.
Jesu tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu
In sempitérna sæcula,
Amen.

℣. Concéptio est hódie sanctæ Maríæ vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Benedictus, Aña.

Conceptiónem * hodiérnam perpétuæ vírginis Genitrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúia.

Oratio.

Famulis tuis, quæsumus Dómine, cœléstis grátiæ munus impertíre: ut, quibus beátæ Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Conceptiónis ejus votíva solémnitas, pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

Deinde fit comm. Feriæ.

Ad Primam, in ℟. br.

℣. Qui natus es de María vírgine.

Ad Tertiam, Aña.

Concéptio est hódie.

Capitulum. Ab inítio.

℟. br. Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine. Glória Patri. Spécie tua. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Ad Sextam, Aña.

Regáli ex progénie.

Capitulum. *Eccli.* 24. *b*

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi



in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. br. Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit. ℣. Deus in médio ejus, non commovébitur. Deus. Glória Patri. Adjuvábit. ℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam, Aña.

Cum jucunditáte.

Capitulum. *Eccli.* 24. *b*

In platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatizans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. br. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et præelégit. Glória Patri. Elégit. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

In ij. Vesperis omnia ut in primis. 425.

Ad Magnificat, Aña.

Concéptio tua, * Dei Génitrix virgo, gaúdium annuntiávit univérso mundo : ex te enim ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster : qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem : et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

Et fit comm. Feriæ.

## DIE IX. DECEMBRIS.

Secunda die infra Octav. Conceptiónis B. Maríæ.

In j. Noct. Lectiones de Script. occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermóne S. Augustíni Epíscopi.

Lectio iv.

*Serm. 18. de Sanctis, in medio.*

Exultat María, et mater se læta mirátur, et de Spíritu sancto se peperísse gaudet : nec quia péperit innúpta, terrétur : sed quia genúerit, cum exultatióne mirátur. O fémina super féminas benedícta, quæ virum omníno non novit, et virum suo útero circúmdedit! Circúmdat virum María, Angelo fidem dando, quia Heva pérdidit virum, serpénti consentiéndo. O felix obediéntia, o insígnis grátia! quæ dum fidem humíliter dedit, cœli in se opíficem corporávit. Hinc proméruit glóriam, quam ipsa póstmodum hausit. Ecce, ait, ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.
℟. Concéptio gloriósæ.

Lectio v.

O beáta María, quis tibi digne váleat jura gratiárum, ac laudum præcónia rependere, quæ singulári tuo assénsu mundo succurrísti pérdito? Quas tibi laudes fragílitas humáni géneris persólvat,

quæ solo tuo commércio recuperándi áditum invénit? Accipe ítaque quascúmque exíles, quascúmque méritis tuis ímpares gratiárum actiónes : et cum suscéperis vota, culpas nostras orándo excúsa. Admítte nostras preces intra sacrárium exauditiónis, et repórta nobis antídotum reconciliatiónis.

℟. Cum jucunditáte.

Lectio vj.

Sit per te excusábile quod per te ingérimus: fiat impetrábile quod fida mente póscimus. Accipe quod offérimus, redóna quod rogámus, excúsa quid timémus : quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, et in te beatíssima nostrórum est expectátio præmiórum. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu : séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuã sanctam Conceptiónem.

℟. Concéptio tua.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

*L.* 1. *Com. in Matth.*

In Isaía légimus : Generatiónem ejus quis enarrábit? Non ergo putémus Evangelístam Prophétæ esse contrárium, ut quod ille impossíbile dixit effátu, hic narráre incípiat : quia ibi de generatióne divinitátis, hic de incarnatióne est dictum. A carnálibus autem cœpit, ut per hóminem, Deum díscere incipiámus. Fílii David, fílii Abraham. Ordo præpósterus, sed necessário commutátus. Si enim primum posuísset Abraham, et póstea David, rursus ei repeténdus fúerat Abraham, ut generatiónis séries texerétur.

℟. Beátam me dicent.

Lectio viij.

Ideo autem céteris prætermíssis, horum fílium nuncupávit : quia ad hos tantum facta est de Christo repromíssio. Ad Abraham: In sémine, inquit, tuo benedicéntur omnes gentes, quod est Christus. Ad David : De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Judas autem génuit Phares et Zaram de Thamar. Notándum, in genealogía Salvatóris nullam sanctárum assúmi mulíerum, sed eas quas Scriptúra reprehéndit : ut qui propter peccatóres vénerat, de peccatóribus na-



scens, ómnium peccáta deléret. Unde et in consequéntibus Ruth Moabítis pónitur, et Béthsabee uxor Uríæ.

℟. Felix namque es.

Lectio ix.

Jacob autem génuit Joseph. Hunc locum objécit nobis Juliánus Augústus de dissonántia Evangelistárũ, cur Evangelísta Matthæus Joseph díxerit fílium Jacob, et Lucas eum fílium appellárit Heli : non intélligens consuetúdinem Scripturárum, quod alter secúndum natúram, alter secúndum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Moysen, Deo jubénte, præcéptum, ut si frater aut propínquus absque líberis mórtuus fúerit, álius accípiat uxórem ad suscitándum semen fratris vel propínqui sui. Joseph virum Maríæ. Cum virum audíeris, suspício tibi non súbeat nuptiárum : sed recordáre consuetúdinis Scripturárum, quod sponsi viri, et sponsæ vocéntur uxóres.

Te Deum laudámus. 17.

In Laudibus fit comm. Feriæ, cui in Vesperis additur S. Melchiadis Papæ et martyris, Aña. Iste Sanctus. ℣. Glória.

Oratio.

Infirmitatem nostram réspice, omnípotens Deus : et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Melchíadis mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

## DIE X. DECEMBRIS.

Tertia die infra Octavam Conceptionis B. Mariæ.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Lectio iv.

*Serm. in c.* 12. *Apoc.*

Novum fecit Dóminus super terram, ut múlier circúmdaret virum, nec álium quam Christum, de quo dícitur : Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cœlo, ut múlier sole apparéret amícta. Dénique et coronávit eum, et vicíssim ab eo méruit coronári. Egredímini fíliæ Sion, et vidéte regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua. Verum hoc álias. Interim sane ingredímini magis, et vidéte Regínam in diadémate, quo coronávit eam Fílius suus. In cápite, inquit, ejus coróna stellárum duódecim.

℟. Concéptio.

Lectio v.

Dignum plane stellis coronári caput, quod et ipsis longe clárius mícans, ornet eas pótius, quã ornétur ab eis. Quidni corónent sídera, quam sol vestit? Sicut dies verni circúmdabant eam flores

rosárum, et lília convállum. Nimírum læva sponsi sub cápite ejus, et jam déxtera illíus amplexátur eam. Quis illas æstimet gemmas, quis stellas nóminet, quibus Maríæ régium diadéma compáctum est.
℟. Cum jucunditáte.

Lectio vj.

Quid ergo sidéreum micat in generatióne Maríæ? Plane quod ex régibus orta, quod ex sémine Abrahæ, quod generósa ex stirpe David. Si id parum vidétur, adde, quod generatióni illi ob singuláre privilégiū sanctitátis divínitus nóscitur esse concéssa, quod longe ante eísdem pátribus cœlitus repromíssa, quod mysticis præfigurátā miráculis, quod oráculis prænuntiáta prophéticis. Hanc enim sacerdotális virga, dum sine radíce flóruit: hanc Gedeónis vellus, dum in médio siccæ áreæ máduit: hanc in Ezechiélis visióne Orientális porta, quæ nulli umquam pátuit, præsignábat. ℟. Concéptio tua.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homília sancti Hilárii Epíscopi.

*Com.* 1. *in Matth. can.* 1.

Non refert quis in oríginis número atque órdine collocétur, dúmmodo universórum famílía cœpta esse intelligátur ab uno. Itaque cum ejúsdem tribus sit Joseph et María, dum profectus esse ex Abrahæ génere Joseph osténditur, profécta quoque docétur et María. Hæc enim in lege rátio serváta est, ut si mórtuus sine fíliis famíliæ princeps esset, defúncti uxórem postérior frater ejúsdem cognatiónis accíperet, susceptósque fílios in famíliam ejus, qui mórtuus esset, reférret maneréntque ita in primogénitis successiónis ordo, cum patres eórum, qui post se nati essent, aut nómine haberéntur, aut génere.
℟. Beátam me dicent.

Lectio viij.

Sequens illud est, ut, quia díximus secúndum rerum fidem generatiónis istíus órdinem nec número sibi, nec successióne constáre, hujus quoque rei rátio afferátur. Non enim levis causa est, ut áliud in narratióne sit, áliud fúerit in gestis: et áliud referátur in summa, áliud vero teneátur in número. Namque ab Abraham usque ad David quatuórdecim generatiónes numerátæ sunt, et a David usque ad transmigratiónem Babylónis in quibúsdam libris decem et septem deprehendúntur. Sed in hoc non mendácii, aut negliggéntiæ vítium est. Tres enim ratióne prætéritæ sunt. Nam Joras génuit Ochozíam, Ochozías vero génuit Joam, Joas deínde Amasíam, Amasías autem Ozíam: et in Matthæo Joras Ozíam genuísse scríbitur, cum quartus ab eo sit. Hoc ita, quia ex gentíli fémina Joras Ochozíam génuit, ex Achab scílicet, qui Jézabel hábuit uxórem. ℟. Felix namque.

Lectio ix.

Denique per Prophétam non nisi quarta generatióne in throno régio Israélis quemquam de domo Achab esse sessúrum dícitur. Purgáta ígitur labe famíliæ gentílis, tribus, quæ prætéritis jam régulis, in quarto generatiónum consequéntium órdine numerátur, et usque ad Maríam generatiónes quatuórdecim esse scribúntur, cum in número decem et septem reperiántur, nullus error esse póterit sciéntibus non eam solum esse Dómino nostro Jesu Christo oríginem, quæ cœpit ex María: sed in procreatióne corpórea, nativitátis ætérnæ significántiā comprehéndi.

Te Deum laudámus. 47.

In Laud. fit com. Fer. Postea S. Melchiadis Papæ et Mart. Aña. Qui odit. ℣. Justus. Oratio. Infirmitátem, ut supra 435.

Vesperæ a Capitulo de S. Damaso Papa et Conf. cum com. Oct. et Fer.



## DIE XI. DECEMBRIS.

In Festo S. Damasi Papæ et Confessoris.

Semiduplex.

Omnia de Comm. Conf. Pont. Ij. præter seq.

Oratio.

Exaudi, Dómine, preces nostras: et, interveniénte beáto Dámaso Confessóre tuo atque Pontífice, indulgéntiam nobis tríbue placátus, et pacem. Per Dóminum.

Deinde fit comm. Oct. et Feriæ.

In j. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Damasus Hispánus, vir egrégius, et erudítus in Scriptúris, indícto primo Constantinopolitáno Concílio, nefáriam Eunómii et Macedónii hæresim extínxit. Idem Ariminénsem convéntum, a Libério jam ante rejéctum, íterum condemnávit: in quo, ut scribit sanctus Hierónymus, Valéntis potíssimum et Ursácii fraúdibus, damnátio Nicænæ

fídei conclamáta fuit: et ingemíscens orbis terrárum, se Aríanum esse mirátus est. ℟. Invéni.

Lectio v.

Basílicas duas ædificávit, álterum sancti Lauréntii nómine, ad theátrũ Pompéji, quam máximis munéribus auxit, eíque domos et prædia attríbuit: álteram via Ardeatína ad Catacúmbas. Platóniam étiam, ubi córpora sanctórum Petri et Pauli aliquámdiu jacuérunt, dedicávit, et exornávit elegántibus vérsibus. Idémque prosa et versu scripsit de virginitáte, múltaque ália metro édidit. ℟. Pósui adjutórium.

Lectio vj.

Poenam taliónis constítuit iis, qui álterum falsi críminis accusássent. Státuit, ut, quod plúribus jam locis erat in usu, Psalmi per omnes Ecclésias die noctúque ab altérnis caneréntur; et in fine cujúsque Psalmi dicerétur, Glória Patri, et Fílio, et Spirítui sancto. Ejus jussu sanctus Hierónymus novum Testaméntum Græcæ fídei réddidit. Cum Ecclésiam rexísset annos decem et septem, menses duos, dies vigínti sex, et habuísset Ordinatiónes quinque mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros trigínta unum, Diáconos úndecim, Epíscopos per divérsa loca sexagínta duos; virtúte, doctrína, ac prudéntia clarus, prope octogenárius, Theodósio senióre imperánte, obdormívit in Dómino: et via Ardeatína una cum matre et soróre sepúltus est in Basílica quam ipse ædificáverat. Illíus relíquiæ póstea translátæ sunt in Ecclésiam sancti Lauréntii, ab ejus nómine in Dámaso vocátam. ℟. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte, de Communi ij. loco. lxiv.

In Laud. fit com. Oct. et Fer.

Vesperæ a Capitulo de Octava, cum commem. S. Damasi Papæ, Aña. Dum esset summus Póntifex, terréna non métuit, sed ad cœléstia regna gloriósus migrávit. ℣. Justum. Oratio. Exaúdi. 435.

Deinde fit com. Feriæ.

## DIE XII. DECEMBRIS.

Quinta die infra Octav. Concept. B. Mariæ.

In j. Nocturno Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Epiphánii Epíscopi advérsus hæreses.

Lectio iv.

*L. 3. hær. 78. post med.*

Beata Mater Dei María per Hevam significátur, quæ per ænígma accépit, ut mater vivéntium vocétur. Illa étenim mater vivéntium vocáta est, étiam postquam audívit: Terra es, et in terram revertéris, post transgressiónem. Et mirum est, quod post transgressiónem hoc magnum cognómen hábuit. Et quod quidem pértinet ad rem sensíbilem, ab illa Heva omnis hóminum generátio dedúcta est in terra: hic autem vere a María hæc vita mundo génita est, ut vivéntem gígneret, et fíeret María mater vivéntium. Per ænígma ígitur María mater vivéntium appelláta est. ℟. Concéptio gloriósæ.

Lectio v.

Hevæ datum est operíre corpus sensíbile propter nuditátem sensíbilem: Maríæ vero datum est a Deo, ut páreret nobis Agnum et ovem, et ex glória ipsíus Agni et ovis fíeret nobis velut a véllere in sapiéntia per virtútem ipsíus induméntum incorruptibilitátis. Heva étiam mortis causa facta est homínibus: per ipsam enim mors ingréssa est in mundum: María vero causa vitæ, per quam génita est nobis vita, et per hanc Fílius Dei advénit in mundum: et ubi abundávit peccátum, ibi superabundávit et grátia: et unde illáta est mors, illinc procéssit et vita, ut vita pro morte fíeret: et qui per mulíerem nobis vita factus est, mortem ex mulíere indúctam exclúderet. Et quóniam illic Heva, cum adhuc esset virgo, per inobediéntiam transgréssa est: e contrário per vírginem obediéntia grátiæ facta est, annuntiáto advéntu in carne de cœlo, et vita ætérna. ℟. Cum jucunditáte.

Lectio vj.

De María accípitur (líceat mihi hoc dícere) quod scriptum est de Ecclésia: Relínquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærébit uxóri suæ: et erunt duo in carne una. Sanctus autem Apóstolus dicit: Mystérium hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclésia. Et vide Scripturárum accurátam dicéndi proprietátem, quod de Adam quidem dixit, formávit: de Heva vero non formátam esse, sed ædificátam. Accépit enim, inquit, unam de costis ejus et ædificávit ipsi in uxórem. Quo osténdat, Dóminum quidem de María effornásse sibi ipsi corpus; ab ipsa vero costa ædificátam esse Ecclésiam, in eo quod punctum et apértũ est ipsíus latus, et mystéria sánguinis et aquæ, prétia redemptiónis facta sunt. ℟. Concéptio tua.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 1.

Liber generatiónis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

*Hom.* 2. *in Matth.*

Auditu quidem mirábile est, quod ineffábilis Deus, et qui nec sermónibus explicári potest, nec cogitatiónibus comprehéndi, Patrique per ómnia coæquális, per Vírginis ad nos venit úterum, et fieri ex muliére dignátus est, et habére progenitóres David, et Abraham : et quid dico, David et Abraham? étiam illas, quod magis stupéndum est, féminas, quas paulo ante memorávi. Hæc ígitur áudiens mente consúrge, nihílque húmile suspicéris, sed pótius propter hoc ipsum máxime miráre, quia cum verus et diléctus Fílius sit sempitérni Dei, étiam fílius David esse dignátus est, modo ut te Fílium fáceret Dei : servum patrem habére dignátus est, ut tibi servo patrem fáceret ipsum Deum. ℟. Beátam.

Lectio viij.

Vides ab ipso statim princípio, quam læta sint hæc núntia. Quod si ámbigis de his quæ ad tuum spectant honórem, ab iis, quæ illíus sunt, étiam tua disce crédere. Quantum enim cónsequi potest humána rátio, multo est diffícilius Deum hóminem fíeri, quam hóminem Dei fílium consecrári. Cum ergo audíeris, quia Fílius Dei, fílius sit et David et Abrahæ, dubitáre jam désine, quod et tu, qui fílius es Adæ, futúrus sis fílius Dei. Non enim semetípsum ita humiliásset, nisi nos esset exaltatúrus. Natus est enim secúndum carnem, ut tu nascerére spíritu : natus est ex muliere, ut tu desíneres fílius esse mulíeris. ℟. Felix namque es.

Lectio ix.

Propterea duplex facta generátio, est hæc scílicet nostræ símilis, illa nostram eminénter excédens. Quod enim natus ex fémina est, et nobis cómpetit : quod vero non ex sánguine, neque ex voluntáte carnis aut viri, sed ex Spíritu sancto, áliam nobis sublimiórem, futurámque spíritu consequéndam generatiónem promíttit. Sed ália quoque ómnia ex símili diversitáte constábant. Nam et baptísma proféсto tale suscépit, quod habéret quidem áliquid véteris, habéret et novi. Quod enim baptizátus est a Prophéta, expréssit vetus; quod autem descéndit Spíritus, adumbrávit novum.

Te Deum laudámus. 17.

In Laud. fit com. Fer.

Vesperæ de sequenti, cum com. Oct. et Feriæ.

DIE XIII. DECEMBRIS.

In Festo sanctæ Luciæ virginis et martyris.

Duplex.

Omnia de Communi Virginum. lxxxvj. præter sequentia.

Ad Vesperas, Añæ de Laud. Psalmi, Capitulum, Hym. et ℣. de Communi.

Ad Magnificat, Aña.

In tua patiéntia possedísti ánimam tuam, Lúcia sponsa Christi : odísti quæ in mundo sunt, et corúscas cum Angelis : sánguine próprio inimícum vicísti.

Oratio.

Exaudi nos, Deus salutáris noster : ut, sicut de beátæ Lúciæ vírginis et mártyris tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Deinde fit comm. Oct., et Feriæ.

In j. Noct. Lectiones, De virgínibus. xcij.

℟. j. Lúcia virgo, quid a me petis, quod ipsa póteris præstáre contínuo matri tuæ? nam et fides tua illi subvénit, et ecce salváta est : * Quia jucúndum Deo in tua virginitáte habitáculum præparásti. ℣. Sicut per me cívitas Catanénsium sublimátur a Christo, ita per te Syracusána cívitas decorábitur. Quia.

℟. ij. Rogávi Dóminum meum Jesum Christum, ut ignis iste non dominétur mei : * Et impetrávi a Dómino indúcias martyrii mei. ℣. Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi : ego autem orábam. Et impetrávi.

℟. iij. Grata facta est a Dómino in certámine, quia apud Deum et apud hómines glorificáta est : in conspéctu príncipis loquebátur sapiéntiam : * Et Dóminus ómnium diléxit eam. ℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus, non commovébitur. Et. Glória Patri. Et.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Lucia virgo Syracusána, génere et christiána fide ab infántia nóbilis, una cum matre Eutychia, quæ sánguinis fluxu laborábat, Cátanam ad venerándum corpus beátæ Agathæ venit, quæ ad ejus sepúlchrum cum supplíciter orásset, Agathæ intercessióne matri sanitátem impetrávit. Statim vero matrem exorávit, ut quam dotem sibi datúra esset, Christi paupéribus tríbui paterétur. Ut ígitur Syracúsas rédiit, omnem pecúniam, quam ex facul-

tátibus vénditis redégerat, paupéribus distríbuit.

℟. Veni sponsa Christi, áccipe corónam quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum: pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti, * Et cum Angelis in paradísum introísti. ℣. Veni elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam. Et cum Angelis.

Lectio v.

Quod ubi rescivísset is, cui eam paréntes contra vírginis voluntátem despónderant, apud Paschásium præféctum Lúciam, quod Christiána esset, accusávit. Quam ille cum nec précibus, nec minis ad cultum idolórum posset perdúcere: immo tanto magis incénsam vidéret ad celebrándas christiánæ fídei laudes, quanto magis ipse eam a senténtia avértere conabátur: Cessábunt, inquit, verba, cum ventum erit ad vérbera. Cui virgo: Dei servis verba deésse non possunt, quibus a Christo Dómino dictum est: Cum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini: dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini: non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus sanctus, qui lóquitur in vobis.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Proptérea.

Lectio vj.

Quam cum Paschásius interrogásset: Estne in te Spíritus sanctus, respóndit: Caste et pie vivéntes templum sunt Spíritus sancti. At ille: Jubébo te ad lupánar duci, ut te Spíritus sanctus déserat. Cui virgo: Si invítam jússeris violári, cástitas mihi duplicábitur ad corónam. Quare Paschásius ira inflammátus, Lúciam eo trahi jussit, ubi ejus virgínitas violarétur: sed divínitus factum est, ut firma virgo ita consísteret, ut nulla vi de loco dimovéri posset. Quamóbrem Præféctus circum ipsam, pice, resína, ac fervénti óleo perfúsam, ignem accéndi imperávit: sed cum ne flamma quidem eam læderet, multis torméntis excruciátæ guttur gládio transfígitur. Quo vúlnere accépto, Lúcia prædícens Ecclésiæ tranquillitátem, quæ futúra erat Diocletiáno et Maximiáno mórtuis, Idibus Decémbris spíritum Deo réddidit. Cujus corpus Syracúsis sepúltum, deínde Constantinópolim, postrémo Venétias translátum est.

℟. Spécie tua, et pulchritúdine tua, * Inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Inténde. Glória Patri. Inténde.

In iij. Noct. Homilia in Evang. Símile est regnum cœlórum thesaúro, ut in Communi non Virg. cviij.

℟. vij. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

℟. viij. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea. Glória Patri. Proptérea.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Oránte sancta Lúcia, appáruit ei beáta Agatha, et consolabátur ancíllam Christi. Ps. Dóminus regnávit, cum rel. 48.

2. Lúcia virgo, quid a me petis, quod ipsa póteris præstáre contínuo matri tuæ?

3. Per te, Lúcia virgo, cívitas Syracusána decorábitur a Dómino Jesu Christo.

4. Benedíco te Pater Dómini mei Jesu Christi, quia per Fílium tuum ignis extínctus est a látere meo.

5. Soror mea Lúcia, virgo Deo devóta, quid a me petis, quod ipsa póteris præstáre contínuo matri tuæ?

Capitulum, Hymnus et ℣. de Comm. Virginum. c.

Ad Benedictus, Aña. Colúmna es immóbilis, Lúcia sponsa Christi: quia omnis plebs te expéctat, ut accípias corónam vitæ, allelúia.

Oratio.

Exaudi nos, Deus salutáris noster: ut, sicut de beátæ Lúciæ vírginis et mártyris tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Deinde fit commemor. Octavæ, et Feriæ.

Ad Horas, Añæ de Laud. Capitula et ℟℟. brev. de Communi Virginum. cj.

Ad Vesperas, Añæ de Laud. Psalmi, Cap. Hym. et ℣. de Com. Virg. cj.

Ad Magnificat, Aña. Tanto póndere eam fixit Spíritus sanctus, ut virgo Christi immóbilis permanéret.

Deinde fit comm. Oct. et Feriæ.

Quando Festum S. Luciæ occurrerit in Dñicam iij. Adv., transferendum erit in diem sequentem: et tunc in ij. Vesp. S. Luciæ omnia dicuntur de die Octava Conceptionis, ut in j. Vesp. Festi cum com. S. Luciæ et Feriæ.